
298
A 27

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
298 A 27



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
298 A 27


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
298 A 27



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
298 A 27



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
298 A 27



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
298 A 27

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
298 A 27

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
298 A 27

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
298 A 27

KW 298 A27
6

MARCI ZUERII BOXHORNII

ORATIO FVNEBRIS IN EXCESSVM CELSISSIMI PRINCIPIS GUILIELMI,

Principis Arauſiæ, Comitis Naſſaviæ, &c. Supremi Fœderatorum Belgarum terrâ marique militiæ Imperatoris.

Habita ex auctoritate publica proximo poſt exequias die in Leidenſi Batavorum Academia.



LUGDUNI BATAVORUM,
Ex Officinâ PETRI LEFFENI,
cIↄ Iↄc LI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
298 A 27

INSCRIPTIO
TUMULI
GUILIELMI I. NASSAVII,
PRINCIPIS ARAUSIÆ, ETC.
QUÆ DELFIS LEGITUR.

D. O. M.
ET ÆTERNÆ MEMORIÆ

GVLIELMI NASSOVI, SVPREMI ARAVSIONENSIVM PRINCIP. PATRIS PATRIÆ, QVI BELGII FORTVNIS SVAS POSTHABVIT ET SVORVM: VALIDISSIMOS EXERCITVS AERE PLVRIMVM PRIVATO BIS CONSCRIPSIT, BIS INDVXIT ORDINVM AVSPICIIS; HISPANIÆ TYRANNIDEM PROPVLIT: VERÆ RELIGIONIS CVLTVM, AVITAS PATRIÆ LEGES REVOCAVIT: IPSAM DENIQVE LIBERTATEM TANTVM NON ASSERTAM MAVRITIO PRINCIPI, PATERNÆ VIRTVTIS HEREDI FILIO, STABILIENDAM RELIQUIT; HEROIS VERE PII, PRUDENTIS, INVICTI: QUEM PHILIPPUS SECUNDUS, HISPAN. REX, ILLE EUROPÆ TIMOR TIMUIT, NON DOMUIT, NON TERRUIT, SED EMPTO PERCUSSORE FRAUDE NEFANDA SVSTVLIT. FOEDERAT. BELG. PROVINC. PERENNE MERITOR. MONUM. P. C. C.

MARCI ZUERII BOXHORNII

ORATIO

In Exceſſum

CELSISSIMI PRINCIPIS

GUILIELMI,

PRINCIPIS ARAUSIÆ,

COMITIS NASSOVIÆ, &c.

QUibus in recenti memoria & quaſi oculis adhuc ſunt eædem ſedes iſtæ poſt exceſſum maximi Principis, Frederici Henrici, haud ita pridem lugentes ac atratæ, ſicut & nunc lugent, cogitatione viciſſitudinum, & mutationum, quæ ſe offerunt in hominum, etiam Principum, rebus, non poſſunt non excitari jam & vehementer commoveri. Nam & filius ejus, qui in harum ditionum præfectura patri ſucceſſerat, in ipſa quaſi juventa raptus ereptuſque patriæ, fine veluti cum exordiis conjuncto, ſuperiore die tumulo, aut potius monumento virtutis ac gloriæ majorum à lugente omni Repub. illatus eſt; & Academia hæc connexos cum Repub. dolores, tradito à majoribus more, nunc etiam prodere & teſtari neceſſe habet. Ac id quidem muneris cum demandatum mihi ab iis ſit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
298 A 27

quorum auctoritati obluctari ego nec potui, nec debui, veniam peto, ſi non tantum facundiæ & ingenii ad vos adferam quantum obſequii, & luctus ac doloris, & in defunctum elatumque jam Principem pietatis. Quanquam vero breve illud ac anguſtum pacatumque vitæ & imperii ſpatium, ac quoddam quaſi otium magnarum, quæ in militari inprimis campo ac pulvere exſerunt ſeſe ac probant, virtutum, dicturo mihi non jam offerant, quæ etiam non diſertorum ora tanquam facunda implere ſolent ac reſerare, juſtas acies, magna prælia, conſtratos cædibus hoſtium campos, fuſas claſſes ac diſſipatas, obſidia munitiſſimarum urbium & expugnationes, quæ priorum temporum Annales, & antecedentes principes uberrimam materiem laudantium ingeniis præbuere; nihilominus tamen iis, quæ tradenda jam habeo, minorem me ego ac adeo imparem invenio. Naſſaviorum antiquiſſimam, & magnitudine virtutum ac meritorum ſplendidiſſimam nunc ac celebratiſſimam ſtirpem quod attinet, non orationis unius, ſed annalium, & occupatum jam diſertoque aliorum ore excuſſum proditumque argumentum eſt. Id modo dixiſſe hic mihi ſuffecerit, eam per omnes Germanorum imperii, etiam primas, & Cæſarum, provectam, adultam, ornatamque dignitates, tot, ut cum illo nunc ſic loquar, habuiſſe probatos, quot genitos, &, quod difficile provenit, frequentiam electorum. Vos ex virtute & magnitudine

tudine rerum, quas poſteri geſſere, quarumque recentiſſima hominum memoria, & æternum hæc Reſpub. monumentum eſt, de majoribus judicate; quorum ſplendori ac gloriæ proximo ſæculo tanto plus eſt additum, quia illis & præcedentium bona eligere licuit, & cumulare nova ac conferre. Nonnihil tamen de iis, quorum noviſſimæ res ſunt, tradere hic ego vobis neceſſe habeo, ut, quod domi & Belgarum ignorat nemo, externi quoque ac peregrini intelligant, quanto magnorum & illuſtrium, & quibus paria alibi ſeſe non offerunt, meritorum vinculo ac nexu obſtricti omnes, qui & amamus & tenemus pene exſtinctam olim & enectam libertatem, ac devincti ſimus. Neque ab adulatione tantum, quæ mihi quidem quædam quaſi ſervitus in libertate eſſe videtur, ſed & ab omni ejus ſpecie, abeſſe procul hæc oratio omnibus iis haud dubie videbitur, qui bona fide conſcientiam rerum proxime pro hac Republicâ auſu eorum, conſtantia ac fide geſtaum circumituri ſunt. Neque ſane falſo aut adulantium ingenio ibi locus eſt, ubi minus ſemper, & impar, ac longe inferius eſt, quidquid dixeris; quin imo, poſt vera quæ prodita ſunt omnia, plura audientibus, Belgis inprimis, genitis quaſi ex iis, & auctis, & haud dubie hanc temporum ſecuritatem, felicitatemque debentibus, non videntur non ſupereſſe ac reſtare. Neque ſilentio præterire iſta hic debeo, quia ut bonorum ac nominum, ita meritorum quoque, ad ma-

gnorum principum poſteros tranſmitti hæreditatem ac tradi ego intelligo. Sed de avo Guilielmo Arauſiorum Principe, inprimis Belgis nobis, tot ejus benificiis obſtrictis, & in poſteris etiam noſtris obligatis, hic dicendum eſt. Fuit quippe huic tanta animi magnitudo, ut omnium quæ perficiunt principem virtutum non capax modo, ſed cepiſſe omnes ac continuiſſe videatur. Adeo ut magnorum hominum, qui res ab eo geſtas plane admirandas legunt ac expendunt, id judicium ſit, vix vitiis eſſe potuiſſe in eo locum, in quo, veluti hoſpitio quodam, omnium virtutum, omniumque adeo officiorum, quibus ſibi devincire non ſingulos modo, ſed gentes etiam totas ac nationes demereri datur, collegium concentuſque convenerit, & omnia laudatorum omnium Principum, quæ diverſa ſinguli tenuerant, unus poſſederit. Is per novennium in aula Cæſaris Caroli educatus, conſcius ſecretorum omnium & particeps, & in locum Sabaudorum Ducis imperator exercitus ſurrogatus, à Philippo Secundo, Hiſpanorum ac Belgarum Principe, cui prudentiſſimus Cæſar ſuaſerat, ut hujus potiſſimum conſiliis uteretur, nobiliſſimarum Belgii Provinciarum præfecturâ ornatus inter ornamenta hæc omnia præcipuum habuit curam reddendæ tandem, quam injuriæ hominum & iniquitas temporum in multis Belgarum millibus vel laqueo, vel igne & moleſta toga, vel etiam undis & pene omnium elementorum, quæ uſibus commodiſque hominum prodeſſe natura juſſerat, vi ex-

vi exſtinctæ, & in infinitâ quadam hominum omnis ordinis, ſexus, ætatis, multitudine in longinqua exilia actæ libertatis. Verus & tunc unicus, quod ei auctoritate publica tributum nomen non æri tantum, ſed, & multo altius, animis Belgarum, velut omni ære perennioribus monumentis, inſcriptum legitur, Patriæ Pater; qui Belgii fortunis ſuas poſthabuit & ſuorum, validiſſimos exercitus ære plurimum privato bis conſcripſit, bis induxit Ordinúm auſpiciis; Hiſpaniæ tyrannidem expulit, veræ religionis cultum, avitas patriæ leges revocavit, reſtituit; ipſam deniq; libertatem tantum non aſſertam Mauritio principi, paternæ virtutis hæredi filio, ſtabiliendam reliquit; heros vere pius, prudens, invictus; cui, cum alia deeſſent omnia, & abunde ſupereſſent omnia iis, qui in Belgarum excidium totius prope orbis opibus armati conjuraverant, nunquam contumax & immota pro Repub. ac libertate fides, nunquam ſpes aut animus, &, quod omnium maximũ ac in perpetua hominum admiratione futurum ſemper eſt, nunquam conſilia defuere; qui eadem in longum jaciens, &, ut ingenio penetrabat omnia, futura cum præſentibus tanquã præſentia conjungens, non tam aliis innixus, cum non offerrent ſeſe alia, quam ſibi, ſuorumq; ſanctitati ac magnitudini conſiliorum, ab imperata ab ultima neceſſitate fuga velut obtorto collo retraxit publicam & ſuis nunc ejectam ſedibus ſuoque exutam regno libertatem. Quem Philippus II. Hiſpaniarum Rex, ille Europæ timor timuit, non domuit, non terruit, ſed empto percuſſore, fraude ne-

ſanda,interfecit. Ita ille,animo conſtanti ac infracto, bene ſperare auſus eſt,cum pene omnium Belgarum ſpes eſſent acciſæ, cum oppida & agri paſſim vacua deſererentur,cũ præcipua Belgarum multitudo,tanquam eſſet ſine patria & nullam haberet, peregrinas quaquaverſum oras, Angliam inprimis , Poloniam, Daniam,& ſuperiorem Germaniam habitaret, cum jam in Belgio Belgæ quærerentur ; cum denique ne uidem metu majoraBelgarum mala vel intelligi poſſent,vel exſpectari. Quod forſan fidem apud poſteros non inveniet, & cui in ullorum temporum, ullarumve gentium Annalibus ſimile nihil vos lecturos eſſe ſcio,prodere ego hic vobis bonâ Actorum publicorum fide,ac tradere memoriæ veſtræ debeo ; ut ex calamitatis publicæ magnitudine, & atrocitate remedii,de quo tunc conſultatum eſt, magnitudinem hujus principis,ſi quidem capere non poſſitis,ſaltim cũ ſtupore admirationis & attoniti excipiatis. Adeo anguſtas , adeo anxias Belgarum res perſequentium inquirentiumque latronum immanitas hic fecerat, ut in ſumma rerum omnium perturbatione majores noſtri,cives optimi, & innocentiſſimi, & , ſi qui alii, principum ſuorum reverentes, ſed mille pœnarum, malorum mille indagine jam incluſi, hoc aliquando inter conſilia habuerint , familiam omnem & fortuna rum qualeſcunque erant, quæque moveri poterant , reliquias in navigia raptim congerere , & perruptis aggeribus,clauſtriſque maris ac fluviorum reſeratis,permittere undis patriã,ipſi autem tempeſtatibus ſeſe dedere , abire,fugere vaſtatas delationibus

& latrociniis terras, permittere ſeſe omnibus ventis, & vela tempeſtatibus pandere, & merſa relictaque poſt tergum patria, aliis in terris, in nudis ſaxis, ſcopulis, vel inhoſpitali aliquo littore ſedes quærere inopi, & ſauciæ, & ægre ſpiritum jam trahenti libertati. Adeo ne quidem ſpes, quo nullum majus fingi aut concipi animo poteſt miſeriarum genus, relicta majoribus noſtris, quorũ innocentia alia meruerat, jam erat. Poſt petitum igitur jugulum publicæ privatæque ſecuritatis & letali prope ictu perfoſſum, quod poſeſſiones majorum noſtrorum factæ ſecuræ, & ad poſteros delatæ ſint, quas in fiſcum tunc quotidie iniquitas temporum agebat, neque aliud ob crimen, quam innocentiæ, neque alia de cauſa, quam ut omnibus exuti tanto cum majore regnantium ſecuritate, qui tyrannorum & libertatis hoſtium mos eſt, ſervirent; Quod, poſt quinquaginta, trucidata innoxiorum millia, jam à Caroli temporibus uſq; ad finem Albanæ ſævitiæ diverſo ſuppliciorum genere, inprimis vivicomburio, Inquirentium ſcelere, quos in Maurorum tantum excidium Hiſpania olim armaverat, ſuperfuerint & Belgæ, qui certatim manus porrigerent jam prope exſtinctæ libertati; Quod redierit & nunc maneat honos, vis, ac præſidium legibus; Quod à fuga retractæ ſint laudatæ conſuetudines majorum, & fixam jam ſedem habeant, everſis cruentatis contra leges civium ſanguine tot tribunalibus; Quod veræ religioni, & qua ſolâ aditur cœlum ac expugnatur, templa ſua ac ſedes, & conſcientiis hominum, quæ cogi nec poſſunt,

nec debent, libertas ſua reddita ſint; quod hac in urbe, ut ſingulatim hoc addam, locus factus ſit ſapientiæ magiſtris, & liberalibus omnibus ſtudiis ac diſciplinis, quæ ſoli libertatis hoſtes odêre; quod ſua hic libertas recludere nunc ora poſſit; quod relegata & velut in perpetuum exilium hæc omnia acta reſtituta tandem ſint; quod denique (nam prope infinita adhuc reſtant, & ad alia properandum mihi hic ego intelligo) majora indies rés noſtræ ac ſtupenda acceperint, alio etiam ſub ſole, & in orbe olim ignoto, incrementa, ejus & conjuncta aliorum patriam amantium conſilia ac auſa fecere. Nam & idem eos genuit deditque Reipubl. cuſtodes, quorum opera, fide, induſtria, conſilioque & conſtantia magis magisque progreſſæ haud alium ſibi jam limitem quam viſitatum & conjunctum, ac velut permixtum commerciis, totum terrarum ambitum fixiſſe videntur. Scio ego in proximis Romæ proditis Belgicarum rerum Annalibus, quibus cætera, ubi à vero non deflectunt, pretium ſuum manere ac pondus debet, tanti principis laudatiſſimos pro conclamata jam cauſa publica conatus ac libertate, & novandi ac cõſtituta jam movendi ſtudio tribui, & privatæ moventis ambitioni. Utinam minus Annaliũ, in quibus præcipua partium ſtudia ſunt, & plus verorum haberemus! Et de vetuſtiorum, quique aliorum res populorum complectuntur, auctoritate identidem ambigere audeo, ubi recentiores & noſtra prope memoria geſtas res tradituros, nulla fide, aut veri cura ſcriptos invenio. Cur mutandi movendique veterem in

Belgio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
298 A 27

Belgio Rempubl. anxiam ſollicitudinem illi tribuunt, qui veterem tantum, & qualis manere poſteris debebat, redditam cum omnibus pro libertate repertis legibus, & velut obtorto collo à fuga, in quam infelicitas temporum ac perfidia hominum eam egerat, retrotractam voluit? Cur ambitionem? cum magnitudine conſiliorum eam ipſe in iis repreſſerit, qui hac via in ipſa vitalia Belgicæ libertatis graſſabantur; cum huic genti plus libertatis eſſe voluerit, quam ſibi poteſtatis. Quam ego cœleſtem prope & inauditam animi in tanto Principe modeſtiam ac moderationem eo pluris faciendam cenſeo, quanto ab omnibus retro ſæculis plures exſtitere, qui non oblatum per ſcelera & malas artes invadere, quam ordine oblatum excipere maluerunt principatum. Plures enim contendunt ad eum plerumque ac adſpirant, quam vocantur: Horum hic ego memoriam non repeterem, niſi ex actis litterisque, quæ legi, publicis, de rei veritate probe mihi conſtaret; & ad defuncti Principis, cui hoc officium jam tribuendum eſt, commendationem plurimum faceret, quod ſucceſſiſſe ex auctoritate publica iis ſeſe exiſtimaverit, qui res miſcuere ſociabiles, præfecturam & libertatem. Avo huic non una, quanquam difficillimis temporibus, matrimonii cura aut voluptas fuit. Primum uxorem ei dedit Annam Egmondanam, filiam unicam & hæredem Maximiliani, Buræ Comitis, & filium, ut de alterius ſexus liberis nihil jam dicam, Philippum Gulielmum; alterum Annam Saxonicam, & ex ea itidem filium Mauri-

tium; tertium denique & poſtremum, Ludoiſiam Colignịam,& ex eâ filium Fredericum Henricum. Pater cum fato functus eſſet immiſſo percuſſore, princeps ingenio & judicio incomparabilis,ut conſilio in rebus difficillimis promptus, ita non unius, adeo ut nunquam ei deeſſet, cum prioribus optati eventus non reſponderent, comis, ad omnem morum factus civilitatem, adeoque amor & votum omnium, & ſic omnibus verſipellis, quod de Carthagine ille olim, ac inſidiantis Hiſpanorum aulæ artibus, machinis, deſtinationibus non tantum, ſed potentia quoque ac opibus, quæ prope erant immenſæ, & omnium Chriſtiani orbis principum metus, ſuperior ſemper ac major; is, inquam, cum fato eſſet functus, cum nobiliſſimo ſanguine perfudiſſet ſceleſtiſſimi parricidæ manus, cum in ancipiti adhuc eſſet Reſpubl. & fluctuaret, adeo ut editis nummis, & in iis jactatæ undis ac tempeſtatibus navis imagine,& inſcriptione, quæ prope deſperantiũ eſt,additâ, QVO ME FATA FERENT, anxiæ hujus imperii res ſignificarentur, ſucceſſorem in præfectura Mauritium filium accepit;qui &, fratre Philippo inproli defuncto, tandem quoque Arauſiæ principatus, bonorumque paternorum omnium adiit hæreditatem. In hoc principe revera conveniſſe dicendum eſt, quidquid fæcundiſſimum etiam laudantis ingenium vel fingere poſſit, vel explicare. Nam in ipſa adhuc adoleſcentia ſeveræ in actione omni & vita à ſe exactor diſciplinæ, quod rariſſimum profecto eſt in illa fortuna, aſſiduus, intentus, ſollicitus,

loquitur, diſpoſitus, omnium, quod prope incredibile dictu eſt, curarum, omnium negotiorum fuit. Quod hæc Reſpub., de qua actum haud multo ante, etiam prudentibus, videbatur, lætius indies & auguſtius extulerit caput; quod diſciplina domi militiæque conſtituta; quod proditæ, quod oppreſſæ feliciter & exſtinctæ, quæ in ipſo gremio hujus imperii ac ſinu ſtruebantur, inſidiæ eorum, qui tuentium aut religionis etiam ſpecie, partam jam libertatem noſtram vertere conſtituerant in aliam & fœdam ſervitutem; quod in ditionum ambitu & modica manu, & brevi ſpatio, plurimæ & validiſſimæ civitates captæ; quod totarum provinciarum factæ ſint ad hoc imperium acceſſiones; quod limites ultra Moſam, Rhenum, Vahalim, nobiliſſimos amnes, & à natura datos huic Reipub. cuſtodes, longe lateque ſint promoti; quod felicibus præliis magni terroris exercitus fuſi, deleti; quod aliquando, ſed raro, victores hoſtes victis fuerint ſimiliores; quod nova arte & peritâ militarium operum manu exſtructæ paſſim tot arces, tot munimenta, tot ſtationes, tot ducti limites, tot loricarum nexus, tot vallorum ſpecies ac formæ, obices hoſtium, & Martis quidam quaſi labyrinthi; quod reliqui Europæ principes ac populi ſic didicerint non tantum armis, ſed etiam ligone & pala, & aggeſta & in varias formas mutata & ſic quaſi armatis humo & ceſpite, ac velut diſpoſito quodam pulvere limites regnorum, & provinciarumterminos, & civitates, & aperta camporum contra incurſiones tueri; quod trepidaverint

alibi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
298 A 27

alibi Calpe & Gades; quod bella noſtra in ignotum quondam, & fertilem argenti, & omnium nobiliſſimam meſſem ſuppeditantem orbem feliciter aliquando navigaverint; quod ſiti ad orientem Indi, & ad ipſum quaſi auriferum Gangem, tot populi, tot reges ac principes, vel ſubjugati, vel fœderibus conjuncti & commerciis, quibus factum eſt, ut totius illius remoti orbis opulentiæ poſſeſſores, & omnium quæ pretioſa gignit quoddam veluti penu, ad quod omnes jam concurrunt Europæ nationes, ac horreum eſſe videamur; quod inter florentiſſimas Europæ nationes jam nos ſimus; quod ſit nobis ac maneat uber quaſi quoddam, ut ille loquitur, opulentiæ omnis & felicitatis; denique quod compreſſi domi exſtinctique ſint graviſſimi, & qui hujus vitalia rodebant imperii motus, victoriq; populo in ſua, quo atrocius nihil eſt, ſæviendi viſcera licentiam fecerant, temporum ejus felicitati ac virtuti debetur. De patre autem Frederico Henrico, principe ut animi majorum, ita novorum & ingentium auctore in hanc Rempubl. beneficiorum, quid dicam nunc ego, aut quid non dicam? Hic animi & conſiliorum promptâ ac incomparabili quadam providentia divulſam diſtractamque in partes, ac nutantem adeo Rempub. componi ac ordinari, magniſque & recentiſſimis adhuc vulneribus, quæ civilium turbarum injuria ac fœda tempeſtas inflixerat, obduci tandem aliquando poſſe cicatrices oſtendit; inter triſtia ſatis & infelicia imperii exordia, turbatis terrâ marique & afflictis noſtrorum rebus (nam lentum conhuma-

tumacemque Mauritii fratris morbum in gloriam ſuam haud negligens occaſionum & intentus hoſtis verterat) lætiores mox reddi poſſe Reipubl. ſoles,& omnem infelicium temporum, ac infeliciora portendentem nubem diſpelli ac diſſipari; validiſſimis civitatibus,quæ huic imperio graves hactenus & infeſtæ ſemper erant, quaſque aut ars aut natura invictas feciſſe credebantur, vi, & modico temporis ſpatio,expugnatis ac captis, nihil inviũ ſibi,clauſum nihil;& de ipſa quaſi rerum natura,elementis omnibus domitis, & juſſis obſequi,agi poſſe triumſum;altitudine pariter ac præſentia ingenii & conſiliorum res omnium difficillimas facile & nullo quaſi negotio geri aut expediri; Unum ac eundem, quod rariſſimum eſt & conjunctum pauci tenent, toga pariter ac ſago excellere poſſe & eminere; conjunctiſſimos diſſidentes fieri poſſe, tanquam non diſſenſerint; explorari & cognoſci ac velut inſpici poſſe aliorum, etiam hoſtium, & clandeſtina conſilia,tanquam ipſe dederis;multis magniſque,& quæ univerſa Europa celebrat, omniſque poſterorum ætas laudatura ſemper eſt, in hanc Remp. meritis oſtendit. Hic,cum cœlebs Mauritius liberos non tolleret, eodẽ ſuadente, & quo hujus imperii rebus, ac ſplendidiſſimæ domui,meritęq; ut poſteros haberet,tandem conſuleret,ad matrimonium animum appulit, lecta uxore Amelia ex antiquiſſimâ illuſtriſſimaque inter Germanos, & de hac etiam Repub. inter ejus exordia,optime merita Solmenſium ſtirpe,quam ſingularis animi ingeniique induſtria ac vigor, & pietas, &

rara morum comitas conjuncta commendabant, ſicut & nunc commendant; cujus ego nunc luctum ac lachrymas, ut in recentiſſimo dolore, (quas tamen premet cohibebitque conſtantia excelſæ mentis ac magnitudo) coram nunc mihi videor intueri. Primũ felicis illius fæcundique tori pignus Guilielmus fuit; quem patri patriæque annus labentis jam Chriſtiani ſæculi xxv. dedit. Cunæ & infantia, præter majorem pompam, à privatorum liberis eum non diſcrevere; cum homines omnes nos eſſe, & conditione pares, non fines tantum vitæ, ſed & exordia ſatis probent. Provectior & quæ jam prodere ingenium principis pueri poterat ętas, principem oſtendit. In diſciplinam traditus (cum multum interſit quis, & quomodo quis talium mores, convenientes magnitudini fortunæ eorum, fingat ac componat) Andreæ Riveto, Theologo, ſeni plane eximio, & qui cum vitæ morumque gravitate, quibus apud adoleſcents principes virtutibus opus eſt, decentem eorũdem ſuavitatem quoque comitatemq; conjunxerat, Hilderſichioq; quem & gratiſſimus in præceptorem doctoremq; ſapientię princeps diſcipulus tandem & ſecretorum conſcium ac interpretem eſſe voluit, non quidem ad ſolidam eruditionem, cum alia multa aliò mox adoleſcentem vocarent, ſed ad pietatem, quæ præcipua principum, qui poſt Deum inter homines primi ſunt, virtus eſt, & liberalium artium ac diſciplinarum peritiam, cum tenere in iſtis ex ſapientia modum principibus rerum, ad campum & aciem ante pacis hæc tempora deſtinatis, mos fuerit, utcunque profecit. Avocabant

cabant & eum à majoribus ſtudiis Martis quaſi area quædam & campus, & velut bellorum prælio-rumque quædam imagines, ac militiæ rudimenta. Exigebat tunc id poſcebatque neceſſitas Reipubl. ac ratio temporum, cum offerendam ab implacabili hoſte huic imperio pacem nondum ſperare auderemus. Et maxime neceſſaria, quæque res præſentes exigunt, merito ac prudenter aliis anteponuntur. Et jam admodum adhuc adoleſcens ac pene puer ingentis, & qui adeo cum hoſtibus committi vellet, animi edebat ſignificationem. Poſtquam eum hujus imperii legionibus primo pater oſtenderat, cum Bredam, urbem munitiſſimam, obſideret, & brevi temporis ſpatio expugnaret, magnum imperatorem futurum, ducum quiſque, militum quiſque ac civium, qui ad ſtupendæ rei ſpectaculum undique confluxerant, jam agnoſcebant. Et haud multo poſt, cum caſtrenſis hujus Reipubl. manus haud procul Bergizomio in quadam quaſi vigilia ageret ac ſtatione, Cantelmi, Hiſpanorum in Belgio ducis, magno animo, ac intrepidus, caſtra invaſit, & legatorum centurionumque præcipuos captivos abduxit; haud admiſſis eorum conſiliis, qui ut præſentiſſimo ſe ſubtraheret periculo, aut cum modica adeo militum manu ſe non offerret, hortabantur. Quod haud dubie ingentis, & in ſola virtute fiduciam reponentis animi eſt argumentum. Et jam in ipſo adoleſcentiæ quaſi aditu, vocatis in aulam & velut ad ſigna ejuſdem ætatis procerum liberis, quo caſtrenſibus rebus inſueſ-

 ceret,

ſceret, quandam quaſi legionis manum conſcribendam ei providentiſſimus pater curaverat. De connubio, cui innecteret ſeſe, & quo ſplendidiſſimæ domui quandam quaſi æternitatem conciliaret, dein cogitatum, & ex auguſta Britannorum domo premogenita Maria petita ac impetrata eſt; agente id tunc potiſſimum ac urgente Maria Medicæa, Ludovici decimi & tertii, Chriſtianiſſimi Galliarum Regis, matre vidua. Quæ autem dein poſt id connubium, tot votis, tot gratulationibus omnium exceptum, Sereniſſimo Regi Carolo, ſocero ejus, totique regnatrici domui adverſa evenere, omnes cujuſcunque ordinis, fortunæ & loci admonent, eam hominum, eorum etiam qui faſtigio inter homines ſunt primi, eſſe conditionem, ut occultâ, ſed ſanctiſſima, immortalis Dei diſpenſatione, mira ſæpe ac ſtupenda viciſſitudine ſecunda ex adverſis, & adverſa ex ſecundis naſcantur. Habet has certe vices conditio mortalium. Illud tantum cum illa infeliciſſima reginarum apud Senecam hic pronuncio;

Quicunque regno fidit, & magna potens
Dominatur aula, nec leves metuit Deos,
Animumque rebus credulum lætis dedit;
Me videat, & te, Troja: non unquam tulit
Documenta fors majora, quam fragili loco
Starent ſuperbi;

id eſt, Domini & Principes rerum. Diſcere ex eo inter ipſa ſtatim imperii initia gener potuit, ac haud dubie didicit, & mira inconſtantia verti agitarique res hominum, & tunc maxime fallere fortunam, cum

cum faventis ſpecie non jam dicam blanditur, ſed adulatur; denique, ut principes ſubjectis velut quidam inter homines Dii offeruntur, ita viciſſim principes Dei adſpectu, non alios quam homines ſeſe cogitare, & Deum ejuſque terribilia judicia trepide, & ſancte, & conſtanter debere revereri. Neque ſane mihi eſt dubium, penituſque id animo perſuaſum ſedet, ſingulari numinis, ſapientiſſime omnia moderantis, providentia fieri, ut, cum plerique aſſeclæ principum & aularum cum fortuna principum, quæ magnifica Galbæ Imperatoris ad Piſonem vox eſt, non autem cum ipſis loquantur, ejuſmodi exempla nonnunquam offerantur, quæ ad inſtar legum præcipiant velut ac jubeant, magnam illam & pleroſque tranſverſos agentem imperii fortunam reverenter habere. Summus ille locus haud dubie ad imum gradus eſt, ubi æquitatis, modeſtiæ, moderationiſque animi aliarumque ejuſmodi virtutum, quæ ut omnium, ita inprimis Principum eſſe debent, fulturis non ſuſtinetur. Faciles ad eum cujuſcunque ordinis, ſexus, ætatis hominum & prompti aditus, obvia, quam & ore ac viſu teſtabatur, comitas, quam gratæ in vulgus, tam ignotæ pleriſque virtutes, qui dum faſtigio aut loco aut venerantium officiis ac cultu ſupra alios extolluntur, tandem inſolentes aut homines eſſe, aut cum hominibus agere ſeſe non meminere. Quod quidem mihi nihil eſſe aliud videtur, quam eos, quos admiſeris, excludere & arcere. Hanc in omnibus quæ ageret, & in omnes quos audiret, tam apertam & conſpicuam animi

benignitatem velut hæreditariam ab optimo, & ad omnem humanitatẽ facto parente ſuo acceperat; in cujus ore dubium magiſne, qualis heroum eſt, animi magnitudo, an propenſa ac prolixa in omnes benevolentia legeretur; adeo ut recentiores Annales hoſtiũ Hiſpanorumq; legiſſe me meminerim, in quibus HVMANISSIMVS MAVORS, inuſitato elogio, appellatur. Noverat & ejus virtutis magnitudine ac uſu animos hominũ capi & expugnari, ac ex avito Guilielmi ſui exemplo acceperat, illam aditus & admiſſionum, & alloquii facilitatem, conciliatis ſic ubiq; hominum animis, militaſſe ei difficillimis temporibus haud aliter quã ſatellites ac legiones. Hos imitatus eſt ac expreſſit; adeo ut rediiſſe in eo, audiri in eo ac conſpici viderẽtur. Unum ſemper ſe ex ſuis putavit, (quomodo de Optimo Cæſare loquitur diſertiſſimus Conſul) & ideo magis excelluit, quia ſe unũ ex ſuis putavit. Cæterum quanquam invidiam ſic & arrogantiam evitaret, fortunæ tamen ſuæ memor, conſtanter magnitudinem ejus retinebat; longe aliter atque illi, qui aut ignari ſui aut certe negligentes, eo plerumque, quod aliis aut nimium aut non debitum tribuunt, ſe deſpiciunt ipſi ac contemnunt. Laudabili igitur temperamento ita duas eas virtutes ſemper conjunxit, ut altera alteram non excluderet aut arceret, ſed pari paſſu & quovis loco comitaretur. Cum anno hujus ſæculi quadrageſimo & ſeptimo (nam in Actis publicis ego id annotatum invenio) ad excipiendum obviis officiis Regium Oratorem invitaretur, eſſe ſeſe Principem reſponderat,

derat. Et amicorum intimis dicere ſolitus erat, in omnibus quæ palam & in luce hominum ageret, eminere aliquid & exſtare , ac agnoſci Principem oportere. Et cum in publico paria cum ſalutantium officiis faceret, in reliquis, gradu ipſo etiam & inceſſu, dignam fortuna gravitatem teſtabatur ; adeo , ut quem humanitate,quâ par cæteris erat,à cæteris non diſcerneres,diſcerneres tamen non tam externo apparatu , aut quod anteibat vel ſequebatur miniſterio,quam adſpectu,quam decentiſſimo geſtu ac motu , quo prodebat ſeſe teſtabaturque digna principe meditantis animi magnitudo. Raram porro indolis ejus bonitatem, ac prope ſingularem, & prolixam in omnes benivolentiam ac liberalem,nemo eorum ignorat , qui ſua ſuorumve deſideria ipſi ac vota expoſuere. Acceptæ quippe poteſtatis, quæ eximia ei erat, perſonam, non niſi benefaciendi licentiam eſſe interpretabatur. Inter preces,aut certamina & honeſtum ambitum plurimorum , contendentium ad vacuas , quas aut togæ aut militiæ conferre poterat dignitates,haud raro profeſſum eum apud amicorum intimos accepimus , Dolere ſibi , non tantam ſibi conferendorum benificiorum , quantam aliis deſiderandi copiam eſſe ac poteſtatem. Et excepta nonnunquam ejus vox eſt , Tanto difficiliorem eſſe Principum conditionem , quanto plus merentium eſt in Republ. quam honorum & dignitatum. Addebat querebaturque identidem,Collatum in unum benificium , quod diſtribui in plures non poſſit, plures tamen vel poſtpoſitos vel dilatos injuriam ex

princi-

principe interpretari. Magnæ, profecto, & prope inuſitatæ in illo faſtigio benignitatis argumentum eſt, voto ſaltem ſatisfacere omnium deſideriis, & id ſolum diſplicere principi, quod non poſſit omnibus placere. Si eorum imminuere forte, quorum miniſterio ac opera utebatur, perſonam aut dignitatem cogeretur, invitus id ille facere, & non tam animi imperium ſequi, quam, quâ ſolâ inferiores ſunt rerum principes, neceſſitatis. Mos illi benificium benificio aut tueri, aut, ſi quidem res ita ferret, mutare. Hæc innata ei, & judicio ac uſu rerum aucta indolis bonitas, ita ejus compoſuerat judicium, ut vices etiam repoſceret, & ad animum revocaret inprimis, ferretque ægerrime, ſi quas ſibi illatas injurias interpretaretur. Habent enim hoc illi, quibus excellentes ſunt & eximiæ ejuſmodi virtutes, rerum præſertim principes, ut quanto illas in pretio ipſi habent, & in tanto eſſe apud alios velint, tantoque odio diſſimillima perſequantur. Neque tamen neceſſariæ omnino in Repub. ac Principe judicii ſeveritati mitis illa, & ad omnem facta comitatem indoles quidquam detraxit, cum id leges poſcerent & imperii diſciplina, adeoque induenda eſſet quædam quaſi judicis perſona. Habent illud eximium in hac Fœderatorum Belgarum Republ. illi, quibus ſuprema ditionum præfectura eſt demandata, ut capitalium criminum reis pœnam pro judicio arbitrioque remittendi, cauſa cognitâ, gaudeant poteſtate. Quod ſic facile & jure ſuo poterat, raro, & difficillime, & non niſi cum idonea aliqua pro reo ac ſupplice ratio mili-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
298 A 27

militaret, ab hoc Principe potuit impetrari;& quod divinarum auctoritati legum plurimum tribueret, & quod conſtitutas exactaſque à facinoroſis pœnas pacis Reipubl. unicas cuſtodes eſſe haud neſciret, denique quod ejuſmodi indulgentia plures fieri deteriores, reoſque ſe facere & impunito aliorum ſcelere contaminare ſe principes,non ignoraret. Aliunde exempla arceſſere non eſt neceſſe; obvium nobis hic offertur. Memini, cum nonnulli, qui huc ſeſe ad capiendum ingenii cultum contulerant, cæſorum duorum juvenum ſanguine mucrones cruentaſſent, quanquam pro iis Sereniſſimus Brandeburgi Elector & alii intercederent, nihil eum niſi cognita cauſſa voluiſſe decernere, & poſt cognitam, judicio ac foro permittendam, &, quod æquiſſimi integerrimique animi indicium eſt, legibus agendum cenſuiſſe. Ita quod facere jure ſuo poterat, non faciendum conſcientiæ ſanctitas ei ac æquitas perſuaſit. Magnum profecto eſt,frænare poſſe ac cohibere acceptam poteſtatem, & conſultâ ratione judicare minus licere Principi, quam licet: magnitudine ejus & ſimilium exemplorum provectus ſupra licentiam eorum Principum,qui & licere ſibi arbitrantur, quod non licet. Aliud ex alio, & majora hic mihi offeruntur. Eum ego hic præſentem intueor, virum ampliſſimæ in hac urbe dignitatis, & interioris apud Principem admiſſionis, cum quo cum nonnunquam de Religionum ſectarumque omnis generis in hac Republ. multitudine ac varietate verba faceret, eam præcipuam ſollicitudinem

eſſe ſignificavit, ne ea res aliquando in exitium Reipublicæ cederet, & vehementer pacem ejus turbaret. Judicabat enim, & profecto prudenter judicabat, motibus forte civilibus ac turbis, quæ Hiſpanorum fere artes ſunt, quorum doli ac inſidiæ & in obſcuro ſunt, & ideo difficulter poſſunt evitari, quibuſque pacata inprimis, qualia iſta nunc ſunt, tempora, aditum facile præbent ac occaſiones, motibus, inquam, & turbis forte ſic excitatis, minorem haud dubie futuram veram Religionem & Rempublicam amantium ac tuentium manum, & magno ac prope immenſo numero ſuperiores eos, qui neque Religioni, neque Reipublicæ ac patriæ bene volunt, &, ut mali cives, præſentium pertæſi, votis conſiliiſque omnibus & deſtinationibus non incumbunt niſi in ſectantium ſeſe incrementum, & eorum quæ compoſita ſunt mutationes; ex quibus ſolis effrænem, quam affectant, pro arbitrio omnia agendi licentiam conſequi ſe poſſe arbitrantur. Quare & ſapienter judicabat; Eccleſiæ ac Reipublicæ res arcto adeo hic eſſe nexu conjunctas, ut hæc ſine illa ſalva eſſe non poſſit aut conſtare. Quare & cenſebat idem, in eam inprimis curam eſſe incumbendum, ut repreſſâ magis magiſque diverſa ſentientium licentiâ, florentiorem ecclesiam, & ſic ſecuriorem Rempublicam habeamus. Et profecto, ſi id quod res eſt fateri velimus, in ancipiti admodum illa Reſpubl. verſatur, & (horreſco referens) propius ab exitio abeſſe videtur, quan-

quanquam quandam quaſi ſecundam valetudinem, & robur, & toros ac lacertos externa ſpecie mentiatur, in qua numero multo plures, & prope innumerabiles ſunt, magniſque ſe quotidie augent incrementis, qui præſentem Reipubl. ſtatum ac pacem odere, quam illorum, à quibus amatur. Non quod conſcientias hominum cogi aut poſſe aut debere, aut ſcriptis ſanguine legibus faciendum locum exiſtimaret (eas enim hujus Reipubl. libertas ejecit, & ſimul earum auctores) ſed ut pervigiles, ut intenti, ut aſſidui & circumſpecti, adverſus numeroſos frequenteſque eorum conventus, qui diverſarum non ab Eccleſia tantum ſed & Republ. hic ſunt partium, haud alio, neceſſaria ſine dubio providentia, habendas loco, quam contra publici egregii bonum conjurationes (Melioribus, qui & inter eos plures ſunt, nihil ego hac oratione detractum cupio), ut omnia etiam tuta timentes, & ut boni cives, præſertim qui curandæ Reipub. præſunt, in ſua quiſque ſede ac ſtatione eſſemus. Multum quippe magnumque eſt, cognoſcere quo anguis, qui propter vitalia eſt, repat, & quid ac quo contendat. Hac præſertim in Repub., in quâ totius terrarum orbis, omniumque, quæcunque tandem ſint, nationum commercia conjunguntur. Et mihi hic de Principis, aliorumque, qui ejuſdem in hac Repub. conſilii ſunt, prudentia meditanti, ejus civitatis, cujus veterum Annales meminere, inſigne exemplum offertur, in qua cum auctis familiis plures jam ſervi eſſent, quam domini, ſervi tandem dominos ejecere. Et verum haud dubie Prin-

cipi, cum hujus ſui conſilii expenderet ac colligeret rationes, certumque videbatur, illud cœptantium in Pannonia ſeditionem militum Romanorum; *Cur paucis centurionibus, & paucioribus tribunis, in modum ſervorum obedirent?* Neque ab interitu procul ea abeſt Reſpubl. in qua hoſtes ejus, & clam, ſeſe tandem numerare incipiunt, ſeque ſupra meliores numero ac manu eſſe deprehendunt. Nec de una, ſed omni ab iis, quæ publice hic docentur, diſſidentium turba loquebatur. Neque meminiſſem hic eorum, niſi in cubili ſuo ac ſpelæis latentem, & domeſticum, & ſic nocentiorem quovis externo, hoſtem deprehendere, & bonum civem ab infido diſcernere, & illius paci contra hujus multiplices inſidias conſulere, denique in tempore & priuſquam mala fiant remediis majora, notare quantum & quid quiſque, qui male in Rempubl. animatus eſt, aut poſſit aut velit, & ſic cives ſervare, haud minus laudis haberet & gloriæ, quam ſanguine hoſtium inficere maria, aut eodem cruentare campos, aut etiam proferre imperii fines. Jam pro inſtaurandis collapſis Societatis, quam vocant, Occidentalis Indiæ rebus cura ejus omnibus nota eſt & ſollicitudo. Ante annos quaſi quinque ſupra viginti in novum velut quendam & ignotum antiquis Americanum orbem Fœderatorum Belgarum bella feliciter navigaverant; claſſem ditiſſimam, & non niſi argenti laminas ferentem, non alios portus quam noſtros legere vi compuleramus; nunquam magis Hiſpania trepidaverat, cum prohiberent noſtri, aut ſiſterent, aut etiam nō ligone aut pa-

la, ſed virtute & armis, ſuas facerent annuas illas & ditiſſimas Iberiæ meſſes, quibus terrarum orbis pax paſſim oppugnabatur; denique, ſtupentibus & exſpectatione majorum commotis per Europam omnibus, portubus, arcibus & munitiſſima urbe captis, expugnatis, in alio quaſi orbe feliciſſimis auſpiciis novum nos, & cujus promovere terminos ac porrigere limites facillimum erat, imperium condideramus. Cæterum haud multo poſt, partim eorum ignavia, quorum erat conſtantia ac fide jam parta tueri, partim impari quorundam domi cura & mora, & minus promptis aptiſque conſiliis, ira certe quâdam Dei immortalis in res noſtras, eorundem jacturam, paucis admodum reliquiis exceptis, magno & incomparabili privatarum publicarumque rerum damno feceramus. Acceſſerat & Luſitanorum quorundam (nam dicendum mihi quod res eſt) ſcelus ac perfidia; qui exuto jam excuſſoque Hiſpanorum imperio, poſt petitam noſtrorum pacem ac impetratam, humani omnis divinique juris negligentes, Societatis non in India tantum ditiones, ſed & in Africa quoque, auro alia permutantium commerciis nobiliſſimas, proximis annis invaſerant; cujuſmodi hoſtibus, qui amicos in ſpeciem ſe fingunt, nulli magis cavendi ſunt, & nulli minus poſſunt caveri. Fœde adeo in alio iſto orbe collapſas res noſtras, paullo ante florentiſſimas, ut reſtitueret, afflictas ut recrearet, nullum inſtantis curæ aut ſollicitudinis genus Princeps intermiſit. Hortari ille & conſulere, ne communis patriæ deſideria ac vota diutius differ-

rentur, ne inultam perfidiam, ne perfidiæ præmia penes perfidos diutius eſſe ſinerent illi, quorum hoc munus, hæc cura eſt, intente & conſtanter, & eodem quo majores animo providere, ne quid domi foriſve Reſpubl. accipiat detrimenti; niſi imminuti, quo nullum gravius crimen eſt, imperii, niſi ignaviæ & negligentiæ, quo & nullum turpius eſt infamiæ genus, apud poſteros velint accuſari. Intelligebat autem, ex illis ſedibus Hiſpano ſemel ejecto (& haud difficulter, ſi vellemus modo, ſi majorum ſanguis ac animus in nobis non heberet, ejici poſſe intelligebat) rebuſque ejus commotis in illo orbe ac turbatis, magnifica tantum potentiæ nomina, & poſſeſſum ſolis titulis pene totum terrarum orbem, non autem vim rerum, aut gerendarum inſtrumenta ac nervos, ei manſura. Utinam vero (nam certe voti hæc res eſt) ejuſdem conſilii magnitudo ac rationes reliquorum quoq; omnium procerum animis ſederent! Brevi profecto Societas, cujus res adeo oppreſſæ nunc & proſtratæ ſunt, ut niſi inſtaurentur mox haud dubie exſtinguendæ ſint, lætius, maximo patriæ bono, caput extolleret: quæ interim defuncto hoc Principe, quem faventem addictumque rebus ac deſtinationibus ſuis ſemper agnovit, ſibi imprimis imperatam nunc intelligit lugendi neceſſitatem. Inter has tam ancipites curas ac ſolicitudines, in ipſo ætatis flore, morbo oppreſſus, inter pias, & quæ cœleſtium rerum ſunt meditationes, ut memorant qui noviſſimis ejus interfuere, tandem defecit, cum vitæ annos quinque ſupra viginti, præfecturæ autem paucos numeraret. Neque ſane

cuiquam eorum, quibus propius inſpicere & agnoſcere indolem, magnitudinem animi, & expeditam promptitudinem conſiliorum,aliaſq; virtutes,licuit, dubium manet,quin inter laudatiſſimos Principes, & inprimis clariſſimos militiæ Imperatores numerandus fuerit, niſi & tempora pacata, ac fati leges, quibus & rerum domini ſubjiciuntur, campum tantum & aream, in qua virtutes illas ſuas exſereret,deſideranti negaſſent. Cum fine Principis votorum ſanctitate & pro poſthuma ejus ſobole, & pro univerſa Republ. ac patria, finiendum nunc ego mihi intelligo. Deum igitur immortalem,agentem hæc omnia pro conſiliorum ſuorum magnitudine ac providentia, & diſpenſantem, ſupplex ego pro infante Principe convenio & veneror; Ut cunis ejus ac crepundiis præficiat cuſtodem angelorum manum; Ut nulli ſint dolentis ejus vagitus, Ut cui ridere pater non potuit, felicitas temporum ac fortuna benigna rideat; Ut,poſtquam ex cunarum anguſtiis feliciter emerſerit,& jam veſticeps,ſimul cum prętexta & virili tandem toga induat omnes virtutes majorum; Ut illi det ac indat, & manere ſemper ſinat mentem humanarum divinarumque rerum intelligentem; Ut cum in necdum natum aſperitas & inclementia fati ſævierit, & lugere inter vitæ exordia neceſſe habeat, qui nondum animo poteſt lugere, & rapto parente inter infelices ſit,qui, quod in calamitate ſummum eſt, infelicem ſe eſſe non intelligat, in eâ omni quæ reſtat vita, omnia deſiderii ſint,omnia votorum; Ut quantum patri detractum eſt, tantum

ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
298 A 27

eſt, tantum ad ætatem ejus accedat. Pro Republ. vero, & communi patria, eundem ſupplex nunc & proſtratus convenio; Ut, quanquam publice & privatim corrupti moris alia omnia meriti ſimus, benignus placatuſque,& noſter, res hujus imperii reſpiciat; Vt quibus hanc Rempubl. auxit benificiis adjiciat & addat æternitatem; Ut hanc pacatorum temporum tranquillitatem nobis poſteriſque noſtris immotam manere ſinat, ſuaque eam pace amplecti ac tueri velit; Ut dum nulli nobis externi hoſtes ſunt, ipſi nobis non ſimus; Vt conjunctis omnium pro Republ. ſtudiis muniat nos nunc ac armet; Vt,cum in hoc rerum ac temporum tranſitu, qui motibus plerumque ac diſſidiis opportunus eſt, ordinandæ ejus cauſa patria quaſi omnis jam convenerit, ipſe, à quo & cujus cauſâ agendi initia capta ſunt, princeps eſſe Senatus, & relationem facere, ſententias dicere ac auctoritates, & pro publici egregii bono facere ac condere Senatusconſulta velit; Ut diſſidentium forte vota in pacem, ac conſpirationem pro æternitate rerum noſtrarum coeant;Ut male velit omnibus iis,qui male volunt nobis; Ut idem ille nobis poſthac maneat, qui fuit; Ut omnia pacatorum temporum, otii, & ſecuritatis, quæ ſola plerumque florentiſſima perdit imperia, mala ignorare nos & poſteros noſtros ſinat; Ut diſſidia nobis nulla ſint, niſi cum iis, qui ab eo, & commodis noſtris, diſſentiunt; Ut cum, quod plerumque fit, libertas in licentiam, &, poſt bellum externum exſtinctum, pax in quidvis agendi movendique

que

que libidinem facile deflectat, utramque arceat, bellum utrique & hic æternum indicat; Vt adverſus alia omnia mala, & vitia imperiorum inteſtina, quæ ſæpe exedunt eorum vitalia priuſquam intelliguntur, armati ſemper, accincti & expediti, velut in acie & campo, ſimus; Vt iiſdem, quæ & multa & magna priorum temporum felicitas genuit, ipſi primi indicamus bellum, ac inferamus, nullo armiſtitio, nullis induciis, nullâ pace finiendum; Vt iiſdem etiam velut in latibulis ſuis, ex quibus nocent maxime, ac cubili deprehenſis, excuſſis, ejectis, profligatis, & purgatâ ſic Republic. ac confirmata, agamus omnium nobiliſſimos triumfos; Vt eâdem, qua majores noſtri, induſtria, conſtantia ac fide tranſmittamus ipſi tradamuſque poſteris felicium temporum hæreditatem, ne quid ſocordiæ, ne quid negligentiæ noſtræ imputare illi poſſint, aut queri; Vt, cum multiplices ac diverſæ ſint in hac Republ. hominum ſpecies, licet in aliis diſſideant, eodem animo iiſdemque ſtudiis pro ejus bono omnes conſpirent; Vt nihil in Republ. ſeſe offerat, quod, cum id robur præcipuum imperiorum ac munimentum ſit, ſinguli non ament; Vt in gremio ejus ſedeat neque civis, neque advena aut hoſpes, qui non amet; Vt idem omnium animus ſit, idem odium in omnes, qui non amant; Denique ut, (nam dicendi hic faciendum mihi finem eſſe ego intelligo) tot & tam ingentia bona ac beneficia, quibus anguſtæ olim & prope conclamatæ res hujus imperii

perii

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
298 A 27

perii auctæ ac in hunc ſplendorem provectæ ſunt, novis, & aliis atque aliis additis, & ſupra hæc vota, tueri velit, proferre ac ornare.

DIXI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
298 A 27

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
298 A 27

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
298 A 27

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
298 A 27